

DIE XXVIII MENSIS FEBRUARII ANNO MMXIV
SUPREMUM DIEM OBIIT

GEORGIUS KOLENDO

VIR STUDIORUM ANTIQUITATIS PERITISSIMUS
PRAECEPTOR EXIMIUS
HUMANITATIS BENEVOLENTIAEQUE SPECIMEN

ANNO MCMXXXIII BRESSICIAE NATUS
UNIVERSITATIS VARSOVIENSIS ALUMNUS
REBUS ROMANORUM INVESTIGANDIS
PER DUODECIM FERE LUSTRA OPERAM NAVAVIT
PRIMUM INSTITUTI HISTORICI
IN ACADEMIA SCIENTIARUM POLONA CONDITI SODALIS
DEINDE ALMAE MATRI VARSOVIENSI FELICITER REDDITUS
IN INSTITUTO ARCHAEOLOGIAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

NON SOLUM HISTORIAE ARCHAEOLOGIAEQUE
SED ETIAM INSCRIPTIONUM NUMMORUMQUE DOCTRINAE
ATQUE PHILOLOGIAE RATIONES SIMUL MIRUM IN MODUM ADHIBENDO
MAGNI MOMENTI QUAESTIONES LUCULENTER ENODAVIT
ET AD ROMANORUM RES SOCIALES OECONOMICASQUE
IMPRIMIS AGRI CULTURAM SPECTANTES
ET AD COMMERCIA QUAE INTER ORBEM ROMANUM
AC BARBARORUM GENTES FUERUNT
EAS REGIONES INCOLENTES QUIBUS NUNC POLONIAE SUNT FINES
ET AD ANTIQUITATIS STUDIORUM
PRIORIBUS SAECULIS IN EUROPA EXCULTORUM MEMORIAM

COMPLURIUM LITTERIS PROVEHENDIS COLLEGIORUM SOCIETATUMQUE
ET DOMESTICARUM ET PEREGRINARUM CONSORS
EPHEMERIDI QUOQUE NOSTRAE SEMPER AMICITIAM PRAESTITIT

TANTI VIRI VITAM MORESQUE RECORDAMUR
OPERA SUSPICIMUS
MORTEM LUGEMUS

*SOCIETAS PHILOLOGA POLONORUM
COMMENTARIORUM Q.I. "EOS" EDITORES*